DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RUBEOLA.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

RUBEOLA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

FRANCISCUS HARRIS,

VIRGINIENSIS,

SOC. AMERIC. PHYS. EDIN. SOC. EXTRAORD.

Gutta cavat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo.

OVID.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M DCC XCIII.

Fratri ſuo dilectiſſimo,

J. HARRIS Jun.

Has Studiorum Primitias,

Pietatis Fraternæ Monumentum,

ſacras eſſe

vult

FRANCISCUS HARRIS.

CORRIGENDA.

Pag. 7. *lege* exanthematici.

—— 9. —— palpebrarum.

—— 11. —— auctor.

—— 21. —— graſſantem.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RUBEOLA.

HIC morbus, tam crebro et tam perite auctoribus ab diverſis, variis temporibus, poſtquam per Europam primo ſeſe ſparſerit, tractatus fuit, ut diffidentia minime levi de eo differam. Quidemque natura et curatio morborum fere omnium, quibus, humani generis politiores excultioreſque partes obnoxiæ

ſunt,

ſunt, tam bene inveſtigatæ repertæque ſunt, ut vix novi aut utilis quidquam, præcipue medicæ rei etiamnum ſtudioſo, qui fere omnino experientia vacet, quique ex libris prælectionibuſque, magna ex parte, ſuam notitiam depromat, in lucem proferre poſſit.

Cum ita ſit, quid ei faciendum eſt? Ut ſit contentus, neceſſe eſt, niſi ei in campos Theoriæ interminatos dubioſque ſe conferre placeat, (quod minime mihi in animo eſt), ex illo experientiæ acervo depromere, qui ab aliis in re medica peritis, cumulatus fuit.

Sed priuſquam hujus tentaminis partes momentoſas aggrediar, pauca, de hiſtoria naturali præmittam.

Morbilli, æque ac eorum comes fœdiſſima variola, nunc per omnes Europæ regiones pervulgata, Aſiæ, et in primis Arabiæ, proprii videntur fuiſſe: namque prima eorum hiſtoria

ria luculenta accurataque, quæ nobis pervenit, a Rhaze, qui apud Arabos circiter ſeculum nonum floruit, depicta eſt; et quinetiam omnibus ſcriptoribus veteribus, tum medicis tum hiſtoricis, prorſus ſub ſilentio omiſſi ſunt.

Sed tamen non deſunt, qui adeo cæco antiquitatis amore capti ſunt, ut aſſeruerint temere potius, quam perite et vere, non ſolum morbillos, ſed etiam luem veneream, variolam, &c. a medicis veteribus plane cognita eſſe. Quinetiam præ ſe ferunt has deſcriptiones in medium proferre: hæ vero intuitu leviſſimo reperientur compoſitæ eſſe ex ſententiis verborum diſtortis, et ex ſymptomatis, (ſenſu ſimul auctoris generali neglecto), variis eodemque morbo excerptis, ſimul ſingulis perinduſtrioſe omiſſis, quæ eorum opinioni adverſari poſſint.

Porro ab rerum antiquarum amatoribus fautoribuſque rogarem, Utrum probabile ſit, ſi morbus adeo gravis, quique omnes fere homi-

nes

nes non ſolum ipſe afficit, ſed aliis inſuper morbis adhuc gravioribus viam proſternit, ſemet, ſeculis HIPPOCRATIS, CELSI, GALENIque, ex æquo communem ut præſenti, oſtendiſſet, hos accuratos obſervatores, hiſtoriam ejuſdem adeo imperfectam, immo nullam prodidiſſe, quum præſertim in aliis exemplis, plane comperti ſimus, hoſce in morborum parvi momenti deſcriptionem minutam deſcendiſſe? Certe non: Et omnibus, animos ingenuos et ſine præjudicio poſſidentibus, evidentiſſimum oportet eſſe veteres, hunc morbum in totum ignoraſſe. Quin et mihi videtur ſatis probabile, morbillos, intra Aſiæ, et potiſſimum Arabiæ limites, per ſecula non memorabilia, uſque ad initium ſeculi octavi, latuiſſe; cum Arabici, furore indomito, victorias adeo crebras reportaverint, ſpatiumque terrarum orbis tantum ſubigerint. Quo tempore, eorum religionis et imperii propagatione, hoc, pariter ac alia flagella, in magnam humani

mani generis partem, quæ nunquam antea iiſdem tentata eſſet, ſævierunt.

Quam eſſet humani generis et ſanitati et felicitati fortunatum, ſi ii barbari cum morbis ſuis funeſtis, in locis ſuis ſolitariis deſertiſque in æternum permanſiſſent! Non forſaſſe errarem graviter, ſi aſſererem, cum in Europa primó apparuerint, inter Europæos cladem magis horrendam edidiſſe quam ipſum bellum: et etiamſi effectus eorum fatales artis Apolloniæ auxilio haud mediocriter minuti fuerint; tamen haud dubie ſtragem maxime deflendam etiamnum efficere. Demum oportet hoc plus minuſve per omne ævum accidere.

Ab auctoribus patet morbillos primum, variolis ſimul comitantibus, Saracenis victoribus in Egyptum invehi. Quinetiam videretur probabile eos cum variolis, per Lyriam, Paleſtinam, et Perſiam ſerpſiſſe; dehinc oram ſecundum Aſiaticam, per Lyciam et Syliciam;

exinde in loca Africæ maritima; ab Africa ultra marmor Mediterraneum in Hiſpaniam; et denique ab hac brevi per omnes gentes Europæas *.

Cenſetur quoque, et forſan recte, militias ſacras, quas variæ Europæ gentes adverſus Saracenos fecerunt, haud parum ad hoc malum per Europam diffundendum, conduxiſſe. Namque exercitus utriuſque milites, belli diſcrimina laboreſque paſſi, ſuum ſolum nativum reviſentes, longe lateque principia hujus morbi latentia inter ſuos diſſeminârunt.

DEFINITIO.

Morbilli ſic apud CULLENUM breviter et concinne definiuntur:

"Synocha

* FRIEND Hiſt. Phyſ.

"Synocha contagioſa cum ſternutatione, "Epiphora, tuſſi ſicca rauca.

"Quarto die, vel paulo ſerius, erumpunt "papulæ exiguæ, confertæ, vix eminentes, et "poſt tres dies in ſquamulas furfuraceas mi- "nimas abeuntes."

HISTORIA.

Morbilli apparent plerumque ſub forma inflammatoria et acuta. Pro origine etiam, veluti alii morbi exenthematici, contagionem agnoſcunt ſpecificam: et ſi pleriſque auctoribus, qui de his diſſeruerunt, fidem adhibeamus, homines ſemel tantum decurſu vitæ iis obnoxii ſunt: Verum profecto non defuerunt, qui contenderunt, conſtitutiones nonnullas bis poſſe contagionem excipere. Hoc procul dubio aliquando accidat; ſed exempla prolata, rariſſima ſunt.

Cum

Cum morbilli in conſpectum ſeſe dant plerumque vulgo graſſantur; et fere Januarii circiter menſem incipiunt, et ad equinoctium uſque vernum ingraveſcere perſtant: quo tempore ad ſummum perveniunt: illinc eodem gradatim modo uſque ad ſolſtitium æſtivum ſeſe retrahunt; quo fere evaneſcunt. Sed Cullenus illuſtris bene obſervavit contagii introductione, morbum, quolibet anni tempore, plus minuſve graſſari poſſe; licet aëris conſtitutio tempore verno, ad hunc diſſeminandum accommodatior exiſtat.

Pueri ad hunc morbum aptiores, quam adulti inveniuntur; cenſeturque urbibus in magnis quam in vicis ruſticis, pernicioſiorem eſſe.

In exemplis paucis impetus hujus morbi tuſſi ſicca, frequenti, et moleſta, ante ulla pyrexiæ ſigna, pro certo prædicatur. At plerumque incipit algore et horrore, frigoris et

caloris

caloris inæqualitatibus, alternantibus. Hæc ſymptomata, ſecundo morbi die, in febrem perfectam deſinunt ; Siti, anorexia, anxietate, vomitione, lingua albida tamen humida, raucitate, tuſſi, ſpirandi difficultate, humoris acris ab oculis naribuſque diſtillatione, oculorum inflammatione, qua æger evadit impatiens lucis, ſtipatam. Tumor palpetrarum brevi, ante eruptionem exoritur.

Eruptio plerumque die quarto ; ſed aliquando maturius, aliquando ſerius, prorumpit. Exempla non deſunt ubi eruptio, die ſecundo prodierit ; et ubi uſque ad diem octavum delituerit. Maculæ, pulicum veſtigiis æmulantes, primum in vultu apparent ; quæ tandem coaleſcentes, ſuffuſiones faciunt. Hæ ad viſum, ſupra cutem non elevantur ; ſed tactui, nonnihil ſentiuntur eminentes. Ab facie gradatim ad pectus ; dehinc per univerſum corpus, eruptio ſerpit. Obſervatur eruptionem, vix aut ne vix quidem in artubus

eminere. Eruptio retinet ruborem vividum uſque ad diem ſextum: ſeptimo autem, rubor vividus, in ruborem fuſcum convertitur; et ſpatio duorum vel trium dierum decedit, corpus quaſi furfure coopertum, relinquens.

Hæc eſt facies uſitatiſſima morbillorum: verum ſunt exempla auctoribus prolata, in quibus a ſupra dictis, haud parum diſcrepant: ut ingenere anomaloſo Sydenhamo deſcripto, quo, eruptio, quod ad acceſſum, non conſervavit periodum conſtantem; modo citius, modo ſerius ſolito apparens; et ſeſe prius humeris, et reliquis corporis partibus quam vultu oſtendens. Quinetiam notavit Sydenhamus, ſi hoc genus forte imperite tractatum fuerit, altero promptius eſſe in mortem terminare.

Proximum eſt genus illud Watsono memoriæ traditum, quodque Londini, annis 1763 et 1768, ſemet manifeſtavit. Hoc genus, auctore jam dicto, vocatur Putridum. Morbilli

forſan

forſan nunquam aut antea aut poſtea apparuerunt ſub forma magis lethali. Sævierunt vix ſecus ac peſtis lenis; et plurimas interitui incolas dederunt. Indolis generalis et proclivitas (affectibus pneumonicis exceptis) hujus generis, Typhum graviorem Cullenianum haud parum retulerunt. Quod maxime firmat hanc opinionem, eſt, ut ratio fere eadem medendi, ut in typho adhibita, adhunc morbum tractandum votis Watsoni potiſſimum reſponderit. Hic auctori ingenioſus, de morbillis putridis agens, ſic accurate et pulchre dicit: "Watery inflamed eyes, a cough, and "univerſal debility, were the firſt indications "of a perſon's being attacked. To theſe generally ſucceeded a reſtleſs night. On the "next day, the fever uſually roſe to a conſiderable height, attended with pain and heavineſs in the head, at which time the eruption appeared; ſo that moſt frequently, on "the ſecond day, the meaſles were viſible on "moſt parts of the body. The cough and "inflamed

" inflamed eyes were worſe. The patient " now complained of great heat, oppreſſion, " and reſtleſsneſs. The breathing was gene- " rally difficult, and there was no expectora- " tion. The ſkin was uſually dry; the fau- " ces of a deep red colour, and the tongue " moſt frequently foul. The thirſt was great. " The pulſe was very quick, but ſeldom full, " and they complained of great weakneſs. " The eruption, heat, and inflammatory " ſymptoms, continued in the manner juſt " now mentioned, more or leſs, according to " the ſeverity of the diſeaſe, four or five days, " and then went off. In ſome inſtances, they " continued a few days longer, but in the " greater number, the eruptions were gone at " the end of the fourth day. This I conſi- " der as the firſt ſtage of the diſeaſe.

" The ſecond or laſt ſtage of the malig- " nant meaſles began after the febrile heat was " over, and the eruptions had diſappeared.

"The watery eyes in many were now riſen to a "grievous ſoreneſs in that organ, which laſted "ſome conſiderable time. The cough, op- "preſſion, and difficulty of breathing, conti- "nued equally ſevere, and ſometimes more "than during the eruption, attended with "great reſtleſsneſs and anxiety, and with ſcarce "any expectoration. The thirſt was abated. "The pulſe was quick, but low, and fre- "quently irregular; and the debility in ma- "ny was extreme, eſpecially if at this period "the patient was ſeized with purging ſtools. "By this time they were greatly reduced in "their fleſh. If in this ſtate a delirium came "on, it indicated that death was not far "off."

Nunc iterum animum ad morbillos communes inflammatorios revocemus. In iis perraro evenit, ulla ſigna præter nauſeam et vomitionem, eruptione tolli. Perſpicuum eſt, in hoc caſu, morbillos, magnopere variolis differre:

ferre: namque eruptio variolis proveniens, ſæpiſſime cohibet non ſolum ſigna moleſtiſſima et periculoſiſſima; ſed etiam radicitus ſummovet. Aliquando vero, ſed rarius, in exemplis mitibus, eruptione facta, ſigna urgentiora evaneſcunt: ſed plerumque ingraveſcunt donec ſuperveniat deſquamatio. Hæc ſymptomata minime etiam hic ſemper gradum reprimunt; ſed e contra febris, tuſſis, ſpirandi difficultas, gravitate adaugentes, æger demum aut affectu pneumonico, aut diarrhœa, aut forſan his conjunctis, opprimitur.

Affectus oculorum, anorexia, et ſimilia plerumque gradu conſiſtunt; ſed aliquando pro ſævitia morbi ingraveſcunt. Obſervatum eſt apud finem morbi diarrhœam ſæpe ingruere; quæ, arte ſalutifera ei incaſſum adverſante, aliquando mortem ægro infert.

Ophthalmia et phthiſis ſunt ſæpius ſequelæ ingratæ pernicioſæque morbillorum. Ipſe vidi haud

haud raro ophthalmiam, per plures menſes, poſtquam omnia alia morbi ſigna diſparuerint miſerrime ægros vexare; et modo etiam, magno viſus diſcrimine.

Sanguis in hoc morbo miſſus, ſemper exhibet ſuperficiem coriaceam albam. Invenitur, ejectionem ſanguinis ventriculo, frequentius in morbillis quam variolis accidere. Ægri, finita deſquamatione, torminibus et doloribus colicis, nonnunquam exercentur.

Si mulieres, in hyſteriam proclives, menſtruis inſtantibus, morbillis correptæ fuerint, deliquio animi, ſpirandi difficultate, gulæ conſtrictione, et demum præcordiorum anxietate, plectuntur: obſervatumque eſt, dum hæc ſymptomata ſubſtiterint, eruptionem in totum condi.

Infantes interdum, ſub tempus quo provenit eruptio, paroxyſmis epilepticis, corripiuntur;

tur; et pruritus vultus, magnumque eundem deſiderium ſcalpendi, haud raro adſunt.

Auctores haud parvi nominis, fideſque minime dubitandæ, aſſeverarunt, hominem et variolis et morbillis ſimul laborare poſſe *. Sed JOHANNES HUNTERUS ingenioſus Londini †, huic affirmationi et obſervatione propria, et theoria oppugnat: namque primo denegat, actiones duas morboſas eodem corpore, ſimul fieri poſſe. Secundo dicit ſeipſum vidiſſe puerum, qui objectus fuerat contagio ſingulorum morborum, primum morbillis, et poſtquam ii evanuiſſent variolis corripi: porro has poſtquam decurſum compleverant ordinarium, feliciter terminari.

PROG-

* Vid. M'BRIDE Method. Introduct.
SIDOBRE de Variol. et Morbil.
DIEMBR. de Variol. et Morbil. Hiſt.
TISSOT Avis au Peuple.

† Treatiſe on Venereal Diſ.

PROGNOSIS.

Quum eventus hujus morbi fauſtus ſit futurus, rebus ſequentibus, plerumque prædici poſſit:

Si epidemicus prævalens, et febris eruptiva mitia fuerint; ſi febris, poſtquam eruptio provenerit, ſymptomatis comitantibus, cohibita aut ſublata fuerit; ſi nulla in pneumoniam proclivitas adſit, et demum ſi dolor capitis non vehementer urſerit, terminationem eventuram eſſe felicem, nobis concludere fas ſit. Sed diarrhœa lenis, vomitio bilioſa, magnum urinæ profluvium, exſcreatio copioſa, et lenis cutis humiditas, certius adhuc exitum morbi felicem prædicunt.

Signa contra, quæ terminationem exitioſam præſagiunt, ſunt, Febris inflammatoria vehe-

mens, poſt eruptionem ingraveſcens, neque demum, poſtquam deſquamatio evenerit, aut deſinens aut miteſcens; quoque tuſſis vexans; ſpirandi difficultas; affectus pneumonicus diarrhœa ſymptomatica ſtipatus; vires maxime convulſæ; delirium receſſionem eruptionis ſubitam excipiens; papularum color purpureſcens aut liveſcens; ſudores profuſi; magna inquietudo; convulſiones; et denique partium extremarum frigus.

DIAGNOSIS.

Conceditur ab omnibus, quatuor tantum morbos, nimirum Variolam, Varicellam, Scarlatinam, et Catarrhum, maxime morbillos referre. Hæ quidem ab morbillis haud ægre dignoſcantur.

Illi inſignes Arabi, ſcilicet, Rhazes et Avicenna, inter morbillos et variolas affinitatem

tem adeo ſtrictam intercedere cenſuerunt, ut utriuſque morbi hiſtorias confunderint. Quinetiam in ſingulis fere eandem medendi rationem adhibuerunt. Sed quin indoles aſpectuſque horum morborum inter ſe invicem maxime diffideant, et quin ſinguli ſua ſymptomata pathognomonica poſſideant, nullo ſano dubitandum eſt.

In variolis, eruptio tertio morbi die incipit, et ſpatio octo dierum ſuppuratio fit. Sed contra, in morbillis, eruptio quarto die plerumque provenit, ſpatioque quatuor dierum, deſquamatio tantum cuticulæ, ſuppuratione locum non habente, ſupervenit. In morbillis, æger, ſignis catarrhalibus haud parum torquetur; quæ ſemper variolis abſunt. Eruptio in variolis omnia ſigna moleſtiora ut plurimum ſummovet, ſed hoc minime in morbillis fit; namque hic omnia, eruptione facta, non ſolum non miteſcunt, ſed fere ingraveſcunt. Quinetiam morbilli ſemper certiſſime a variolis, per

magnitudinem

magnitudinem puſtularum, materiamque in his incluſam, primo aſpectu dignoſcantur. Variolæ, ſuppuratione abſoluta, foveolas ſæpe in cute relinquunt: morbilli ſemper his carent. Porro admiſſio liberalis aëris frigidi, ſemper ad variolas reddendas mites quam optime accommodatur: ſed experientia ampliſſima inventum eſt hunc, in morbillis non tantum non proficere, ſed fere ſemper admodum nocere.

Morbilli quoque a varicella, puſtularum aquoſarum eruptione, quæ temporibus valde incertis in hac fit, facile dignoſcantur. Quoque in varicella ſigna catarrhalia deſunt.

Scarlatina quidem plura ſymptomata, iis morbillorum agnoſcit ſimilia, quam utervis eorum jam poſitorum; et levi intuitu, differentiam ponere minime facile videretur: namque ſcarlatina pariter ac morbilli, contagioſa eſt; et eruptio ejuſdem, quarto die, faciei tumore

more ſtipata, prodit; et ſub idem tempus decedit. Sed in ſcarlatina, maculæ exiſtunt multo magis latæ, confluentes, et complanatæ, quam illæ morbillorum. Scarlatina quoque, ſignis catarrhalibus, affectibus oculorum et in pneumoniam proclivitate plerumque caret. Quinetiam ſcarlatina habet ſæpius fauces male affectas. Denique, omnibus ſcarlatinæ ſignis evaneſcentibus, haud raro anaſarca ſupervenit; id quod vix unquam in morbillis occurrit.

Reputatum eſt a nonnullis catarrhum, haud parum morbillos æmulari. Verum hi ſatis facile a catarrho, tuſſi ſicca, et rauca, tumore faciei, affectu oculorum, vomitione vexante, et inprimis eruptione, quæ nunquam in catarrho apparet, ſecerni poſſint. Plerumque ante viſum ægrum, facultas nobis ſit, animum ad epidemicum in vicina graſſentem advertendo, quid morbum ſit judicandi.

CAUSÆ REMOTÆ.

Cauſæ remotæ in Prediſponentes et Excitantes dividi poſſunt.

Prediſponentes vero, quædam corporis humani conditiones ſenſiles, irritabileſque videntur eſſe: quales nimirum, pueris potiſſimum contingunt; et ex quibus forſan ſolis, ratio, cur ii, magis quam adulti, morbillis exiſtant obnoxii, reddi poſſit.

Profecto nonnullis perſuaſum eſt potentiam quamlibet infirmantem, ſicut frigus, metum, dietam parcam, ebrietatem, venerem nimis cultam, defatigationem, &c. ad homines morbillis opportuniores reddendos, haud parum conducere. Sed hoc minime ſtabilitum eſt.

Quin

Quin et quædam anni tempeſtates, aut potius aëris conditiones quædam, ad morbillos longe lateque diffundendos maxime accommodatæ videntur. Attamen quibus conſtent hi ſtatus, aut quomodo hos effectus præſtent, adhuc parum intellectum eſt. Sed hactenus pro certo conſtat, morbillos, hyeme decedente, vel primo vere, frequentiſſime exitibuſque fatalioribus, graſſari.

Cauſa excitans eſt contagio ſpecifica, quæ ob ejuſdem naturæ ſubtilitatem, et paucitatem, adhuc effugit, et forſan ſemper ingenii humani acumen effugiet.

CAUSA PROXIMA.

Nulla quidem noſtræ ſcientiæ pars exiſtit, aut minus comperta, aut magis conjecturalis, quam ea cauſarum proximarum; et forſan nulla, ſi bene cognita et intellecta fuerit, plus

fructus

fructus afferret: namque ſatis conſtat, ſaltem mihi, exiſtentiam ipſam omnium morborum a cauſa proxima pendere; ſine qua, non per minimum temporis punctum exiſtere poſſent: "Eſt illa quæ præſens morbum facit; ſublata "tollit; mutata mutat." Demum ſi cauſarum proximarum uniuſcujuſque morbi naturam ſatis compertam habuiſſemus, talia remedia, (eorum viribus virtutibuſque nobis intellectis), præſcribere duceremur, qualia certiſſime ad eaſdem tollendas, et ſic ad morbum curandum, accommodarentur: "Cum remedia vero morbis medeantur tantum quatenus cauſas eorum proximas tollant *."

Ex hac cauſarum proximarum ignorantia, ratio cur conamina remediaque medicorum tam ſæpe diſperdeantur, incaſſumque adhibeantur; et cur haud raro, illa in corpore humano, effectus noſtræ ſpei expectationique

3 adeo

* Cullen.

adeo contrarios oppugnanteſque præſtent, potiſſimum petenda eſt.

Verum tamen haud denegandum eſt, quamvis cauſæ proximæ plerorumque morborum caligine denſiſſima obvolvantur, nonnullas haud male intelligi cognoſcique, et, quo modo ſui morbi melius feſtinatiuſque curari poſſent, indicare.

Per tempus haud exiguum opinio increbuit, præſentique inter haud paucos medicos invaleſcit fermentationem eſſe cauſam proximam morborum plurimorum exanthematicorum; et inprimis Variolarum Morbillorumque. Hæc quidem theoria ab Culleno illuſtriſſimo, aliiſque haud contemnendis, multo ingenio defenſa eſt; et levi intuitu ſatis videretur ſpecioſa: ſed quando inveſtigationis minutæ examini ſubjiciatur, fundamini forſan lubrico inniti invenietur; præterea omnium phænomenorum hujus morbi, minime poſſe rationem

reddere. Sed ut mori obtemperemus theoriam, quamvis parum accuratam aut ſtabilitam, dare conabimur.

Propoſuerunt fautores fermentationis contagionem ſpecificam ut fermentum, in fluidorum maſſam agere, et ſic eos aſſimilare, et ſub forma puſtularum, ſuffuſionumque in corporis ſuperficie deponi. Verum plurima huic theoriæ objici poſſint. Namque,

Primo, Nullum diſcrimen in fluidorum hujus morbi, eorumque qui non exanthematici ſunt aſpectu, intercedere obſervatum eſt; quodque, cum bene notum eſt omnibus, fermentationis eſſe fluidorum naturam haud parum permutare, invenire expectaremus.

Secundo, Cum omnis motus vehemens obſtet fermentationi, haud veriſimile eſt, fluidum ſemper, ut ſanguis, velociſſime ſe circumferens, fermentationis ſubire actionem.

Tertio,

Tertio, Ab experimentis plane patet, unum ex fermentationis effectibus eſſe, aëris fixi extricationem: quod ſi in hoc morbo acciderit, procul dubio extemplo ægro mortem inferret.

Quarto, Fermentatio, hujus morbi ſigni inſigniſſimi, rationem reddere minimè ſufficit: nimirum cur homines ſemel tantum in decurſu vitæ morbillis obnoxii ſint. Profecto, ſi fermentatio, cauſa proxima eſſet morbillorum, homines, quoniam eorum fluida perpetuò ob ingeſta excretioneſque commutantur renovanturque, huic morbo, ſæpius in decurſu vitæ, accommodarentur.

Adhuc, ut noſtram in medium proferamus opinionem reſtat. Hæc paucis verbis exponatur. Nobis ſententia eſt, virus morbillorum, in corpore humano ſtimuli vice fungi: ſcilicet, cùm per ſanguinis circuitum, ſyſtematis, quod ſanguinem vehit univerſi, parietibus internis admoveri, in eodem actionem, (per potentiam

tentiam ejus ſtimulantem), *ſpecialem* inducere; quæ actio, ad materiam morbo peculiarem allaborandam aptetur. Hic quoque cenſemus humores ſanguineos vehiculi, in quo vehatur materia morbilloſa, tantum officio fungi.

Ratio cur aliquis ſemel tantum in decurſu vitæ morbillis opportunus ſit, forſan hoc modo explicetur: Cenſemus virus morbilloſum modo ei, quo narcotica, opium nimirum et nicotiana, quodammodo ſimili, in genus nervoſum ſuos effectus præſtare: ſcilicet capacitatem aut proclivitatem generis nervoſi ad ſimiles impreſſiones, ab iiſdem ſtimulis, aut ſuſcipiendas aut ſentiendas, delendo.

METHODUS MEDENDI.

Conſilia medendi in hoc morbo ſunt,

Primo, Diatheſin phlogiſticam ſubigere;

Secundo, Quibuſdam ſignis moleſtis ocurrere.

Omnes

Omnes inter medicos convenit nihil, ſyſtematis vaſcularis actionem auctam, quam ejuſdem depletionem ſubitam, aut tam celeriter aut efficaciter imminuere; et cui conſilio reſpondendum, ſanguinis detractionem omnibus aliis longe anteponendam eſſe. In omnibus inflammationem morbis, itaque in morbillis, habentibus, ſanguinem, ut effectus habeat exoptatos ex orificio amplo, pleno rivo, exilire oportebit.

Si epidemici graſſantis indoles inflammatoria ſit, aut putredinis ſignis prorſus vacet; ſi febris, calor, ſpiritus difficilis urgeant; ſanguinis miſſione potiſſimum opus erit; ſolumque quidem remedium eſt cui multa fiducia imponi deberetur. Oportebit quidem liberales ſanguinis detractiones generales in omnibus morbi ſtadiis, ſi ſigna ſupra poſita poſtulent, aut ægri vires patiantur, adhibere. Profecto diatheſis phlogiſtica fons eſt e qua, ſigna moleſtiſſima, ſicut dolor capitis, tuſſis, ſpiritus

difficilis,

difficilis, dimanant; et prout illa ſanguinis miſſione minuatur, hæc ſublevata erunt. SYDENHAMUS verum ſagax in ſtadiis morbi maturioribus ſanguinis detractionem perraro, adhibuit, quia opinatus fuit eam eruptionem haud parum impedire. Sed vero effectus ei bene contrarios accidere haud raro obſervatum eſt: nimirum venæſectionem, non ſolum eruptioni non obeſſe; ſed etiam eam promovere. Hic quidem in HOMII illuſtris ſententiam longe ineo, ab exhibitione matura tempeſtivaque ſanguinis miſſionis, morbillos non ſolum in decurſu uſitato reddi leniores; ſed ſignorum pernicioſorum ſaltem moleſtorum acceſſum optime arceri.

Alvi fluxus.—Ad ſyſtema quod ſanguinem vehit exinaniendum, et ad diatheſin phlogiſticam minuendam, alvi ſolutio locum ſanguinis miſſioni proximum procul dubio tenet. Sed bene notum eſt eam, pro rata exinanitione, magis quam venæſectio, vires ægri con-

3 vellere,

vellere. Itaque videtur æquum, ob hanc rationem, ubi diatheſis phlogiſtica maxime accendatur, et ad eandem tollendam exinanitio copioſa ſubitaque depoſtuletur, alvi fluxum, ſemper ſanguinis miſſioni cedere. Verum monet tamen Monroius ſagaciſſimus ſeipſum purgantia in morbillis curandis ſucceſſu cum feliciſſimo adhibuiſſe. Laxantia lenia et clyſmata emollientia in morbillis ſemper proficiunt; namque fæcum induratarum accumulationem præveniendo, non ſolum inteſtinis ipſis, ſed univerſo corpori, ſtimulum moleſtum et periculoſum tollunt. Clyſmata quotidie adhiberi debent. Laxantia quæ poſſunt adhiberi, ſunt, ſales medii, decoctum tamarindorum, et cryſtalli tartari. Sales neutri duplice modo proficiunt: nimirum purgando refrigerandoque.

Regimen Antiphlog.—Hoc remedium, omnibus in morbis inflammatoriis tractandis, ſemper valde prodeſt. Sine quidem attentione

ad

ad hoc ſtrictiſſima, ſubſidium medicum maxima ex parte, fruſtra adhibeatur. SYDENHAMUS, hujus regiminis in morbillis momentum, plane novit, et optimo jure præcepit, ut ægrotans in temperie moderata ſervaretur, ab omni cibo animali abſtineret; et pro hocce vegetabili uteretur. Quin et commendavit ut æger, quantum fieri poteſt, lectum vitaret. Omnia, quæ ad tuſſim excitandam adaugendamque prona ſunt, ſedulo effugienda ſunt. Acida, utpote interdum hunc effectum prompta præſtare, haud tuto, niſi aqua plurima diluta, præſcribi poſſint. Placuit nonnullis auctoribus aëra frigidum, æque liberaliter in morbillis ac in variolis tuto adhiberi poſſe. Sed ii maxime hallucinantur: et compertum eſt experientia ſatis ampla, aëra frigidum, qui ad variolas lenes reddendas prorſus neceſſarius ſit, in morbillis, haud ſine magno periculo, adhiberi poſſe.

Tuſſis.—Cum tuſſis eſt ſignum conſtantiſſimum, quod morbillos comitatur, noſtram in primis mereatur attentionem. Hæc cauſis ab duabus magna ex parte pendere videtur: nimirum ab aliqua in pulmonibus ipſis inflammatione, et ab effuſione acrimoniæ morbilloſæ in bronchia fauceſque. Quum conſideremus cauſas tuſſim efficientes, plane conſtabit, omne remedium, quod has a pulmone eliciat, poſſe, haud parum adjuvare. Profecto ad hoc conſilium reſpondendum, nullum videtur magis congruum, quam emetica. Hæc, humores circumeuntes ad ſuperficiem corporis copioſe evocando, exhalationemque per cutem augendo, et ſic cauſas irritantes minuendo, aut tollendo, ſuos effectus præſtant. Emetica quoque, forſan vaſorum pulmonum excretoriorum ſpaſmum ſuperando ſolvendoque, ſæpe efficaciter exſcreationem movent. Doſes nauſeantes antimonii tartarizati in ſtadiis morbi maturioribus adhiberi debent: ſed ſi diatheſis inflammatoria maxime ſævierit, illæ, donec ſanguinis de-

tractio præmiſſa fuerit, ne aliqua inflammatio topica progignatur, omittendæ. Obſervatum eſt aliquando vomitionem, eruptionem accelerare, morbumque, decurſu ſolito, leniorem reddere.

Opium aliud eſt remedium eximium in tuſſi ſublevanda, cum tuto præcepi poteſt. Cum per ſanguinis miſſionem, aliaſque exinanitiones, ſigna inflammatoria maxima ex parte ſubacta fuerint; cumque tuſſis vigiliaque ſolæ ægrum torqueant, opiata cum inſigni beneficio præſcribantur. Sed demum, e contra, ſi pyrexia vehemens, ſpirandi difficultas, et affectus pneumonicus, adfuerint, non ſine conſequentiis pernicioſis adhiberi poſſunt.

Pectoralia demulcentia, ſive mucilaginoſa, ſive oleoſa, ſive dulcia, in tuſſi obvianda haud parum commodi afferant. Hæc, ſecundum Cullenum, agunt "by beſmearing the fau-

" ces,

" ces, and thereby defending them from the " irritation of acrids."

Quum veſicatoria obſerventur eſſe valde utilia in pleriſque topicis inflammationibus, vix aliter accidere poteſt, quin, tuſſim, quæ magna ex parte ab ſanguinis pulmonem verſus determinatione aucta pendeat, allevando, egregie proficiant. Ratio minime obſcura eſt, qua ſuos effectus ſalutares edunt. Illa ſcilicet, vi ſtimulandi, humores ſanguineos e pulmone educunt ad ſuperficiem ; et forſan quoque ſpaſmum corporis extremorum ſuperando, eundem, ob conſortium, pulmonum vaſis præſentem, ſolvant ; et ſic congeſtionem tollant. Veſicatoria aut lateri, aut inter ſcapulos applicari debent. Obſervatum eſt opiata aliquando, eruptionem premature evaneſcentem, rurſus in cute elicere.

Pneumonia.—Hoc ſignum raro, ſi ſanguinis miſſio adhibita fuerit in ſtadiis morbi maturis, occurrit ;

occurrit; et quandocunque ſe manifeſtet, ſi vires ægri patiantur, hoc remedio potiſſimum curandum eſt. Sed ſi, cum hoc ſignum ægrum corripit, vires ejus maxime exhauriantur, venæſectio haud tuto adhiberi poteſt. Hic venæſectio topica et veſicatoria, cum multum levaminis, viribus integris ſimul relictis, afferre queant, apprime indicantur.

Diarrhœa.—Diarrhœa, quæ ante deſquamationem accidit, rariſſime multo periculo conſociata eſt: et e contrario ea, omnia morbillorum ſigna ſæpe ſublevat. Itaque, niſi ſit immodica, remediis forſan non cohibenda eſt. Diarrhœa ſola, quæ poſt deſquamationem ſupervenit, multam curam mereatur.

Remedia quæ hic indicantur, videntur eſſe opiata, tonica, aſtringentia; et demum mucilaginoſa, aut per anum infuſa, aut per os ingeſta. Sydenhamus præcepit ſanguinem, quo diarrhœa ſupprimeretur, mittendum: ſed

hoc

hoc ægri vires nimis diſperderet, et integritatis recuperationem nimis tardam redderet.

Si phthiſis pulmonalis morbillos excipiat fortaſſis vix unquam curationem admittit. Hanc, ut idiopathicam, tractari oportebit. Tissot memoriæ prodidit, ſeipſum, multos fere deſperandos caſus, diæta lactea ſola curaſſe: ſed ſimul monet unumquodque aceſcens ſedulò præcavendum eſſe.

Si morbilli induerint indolem putridam a Watsono memoratam, valde perſpicuum eſt, eoſdem ratione, ab illa qua inflammatorii, valde diſcrepante, tractandos eſſe. Sanguinis miſſio, quæ in morbillis inflammatoriis tractandis, eſt tam neceſſaria, forſan nunquam in malignis, ſine magno damno, uſurpari poteſt. Sed ſiquando medici ſanguinis detractionem adhibere neceſſarium cenſeant, parca manu, et tantum inter initia morbi debebit.

Remedia,

Remedia, quæ ad morbillos putridos curandos uſurpentur, ſunt Vinum et Cortex Peruvianus. Sed ſi cortex ſpiritum reddat difficiliorem, omittendus eſt. Oportebit cubiculum ægri, aëre puro et ſubfrigidulo bene perflari; et excrementa ſedulo removeri. Veſtimenta tum ægri ipſius, tum lecti, ſæpe mutanda ſunt. Potus communis debet eſſe ex ſucco acido limonum, ſacchari et aquæ pauxillo mixto. Watsonus memorat ſi, ſub initium ſit morbi magna anxietas, cutis ſicca et conſtricta, hominem in balneum tepidum demittendum eſſe.

FINIS.